


Hausmann:  
De partis  
Romanorum  
spec. I







P. 202.

~~Pr. 12 num. 10~~

17. 32  
DE  
**PACTIS  
ROMANO-  
RUM**

KÖNIGLICHE  
UNIVERSITÄT  
ZU HALLE

*The 4068*  
**SPECIMEN PRIMUM.**

AUTORE  
LAURENTIO HAUSMANN,  
LUBECENS.

*Argentorati,*  
*Literis Georg. Adami Piesckeri, Univers. Typogr.*

*Liberæ ac Illustris  
Sacri Romani Imperii  
CIVITATIS LUBECAE  
INCLYTO SENATVI,  
Viris Magnificis, Generosis, Amplissi-  
mis, Consultissimis, Prudentissimis,  
DOMINIS  
CONSULIBUS, SYNDICO,  
SENATORIBUS, PROTONO-  
TARIO AC SECRETARIIS,  
Patriæ Patribus Exoptatissimis, Patronis  
Optimis, Fautoribus summo animi cultu profe-  
quendis atque devenerandis  
*Primos laboris ac studii fructus, qua decet  
demissione, observantissime  
offert, dicat, consecrat**

Tantorum Nominum

*Obsequiosissimus*

AUTOR.



# CAPUT I. DE PACTIS IN GÉNERE.

§. I.



E PACTIS ROMANO-  
RUM tanquam Pactorum specie  
meditaturus de Pactis in genere  
nonnulla præmittere instituto  
meo haud incongruum esse ju-  
dico. Facem in hac ardui mo-  
menti materia mihi prætulit \* Philosophus quidam  
Jenensis, Clarissimum puta KOEHLERUM, Virum,  
quem scientia solidioris cultores vetant mori, &  
quem Præceptorem meum fidelissimum grata mente  
agnosco & colo; quæ quoque ratio me movit, ut  
crebriori nominis Celeberrimi citatione pagellas  
hasce condecorare decreverim.

A 2

§. 2.

---

\* in Exercit. VI. Juris Naturæ d. Jure Pastitio.

## §. 2.

In omnibus negotiis seu actionibus socialibus, in quibus parti s. conventionis vocabulo utimur, invenimus homines, qui affirmant, se alteri aliquid præstare velle, aut intuitu ejus aliquid omittere; deprehendimus porro, qui se idem velle, quod ab altero affirmatur præstandum vel omitendum, declarant.

## §. 3.

Sermo, quo quis affirmat, se velle alteri aliquid præstare seu intuitu ejus aliquid omittere, dicitur *promissio*. (Kähler. Exercit. VI. §. 1244.)

## §. 4.

Qui affirmat, se velle, quod alter promittit, ille *acceptat*. (1264. ej. Exercit.)

## §. 5.

*Pactum* seu *Conventio* est actus humanus, quo promissum acceptatur ab altero. (§. 2. 3. 4.)

## §. 6.

Declaratio voluntatis nostræ symbolica alteri facta de aliqua re effectui danda est, quod *consensum* appellamus. (Kähler. Exercit. VI. §. 1253.)

## §. 7.

Aut voluntas declaratur voce vel scripto, aut alio signo; priori casu dicitur *expressus*; posteriori *tacitus consensus*.

## §. 8.

Declaratio voluntatis aut actualiter adest, aut

¤ ¤ ( ¤ ¤

aut adesse fingitur. Hinc consensus vel *verus*  
vel *fictus* est.

§. 9.

Consensus tacitus est verus consensus.  
(§. 7. 8.)

§. 10.

Consensus fictus re vera non est consensus.  
(§. 6. 8.)

§. 11.

Promittens significat alteri, cui promittit,  
consensum suum. (§. 3. 6.)

§. 12.

Si is, cui fit promissum, idem vult ac pro-  
mittens, *in promissum consentire* dicitur.

§. 13.

Qui acceptat, ille in promissum consentit.  
(§. 4. 12.)

§. 14.

Identitas voluntatis paciscentium in aliquo  
negotio signis manifestata *consensum mutuum*  
seu *reciprocum* absolvit. Idem objectum repræ-  
sentatum, ad quod existentiæ reddendum vel im-  
pediendum paciscentium voluntas tendit, *idem*  
*placitum* dicitur. (Kähl. Exercit. VI. §. 1260. 1261.)

§. 15.

Pactum est consensus mutuus in idem pla-  
citum. (§. 5. 11. 13. 14.) Substituas consensui  
mutuo consensum duorum, & pactum erit duorum

A 3

vel

vel plurium in idem placitum consensuſ l. i. §. 2.  
ff. d. pact.

§. 16.

Id, quod propter aliud rei inest, vel de re  
prædicatur, *determinatum*; id, per quod deter-  
minatur aliud, *determinans* dicitur. (*Wolf. ont.*  
§. 114.)

§. 17.

*Una eademque res potest esse deter-  
minatum & determinans in diverso re-  
spectu.* Ponas, pactum inire Cajum & Me-  
vium, tunc Cajus & Mevius sunt determinantia  
pacti, & pactum ipsum determinatum est. Idem  
pactum vero est determinans, quatenus per illud a-  
liquid fieri vel non fieri debet, & pacifcentes, qua-  
tenus per hoc pactum obligati sunt, per illud de-  
terminantur. (§. 16.)

§. 18.

Determinatio vel generi inest, vel certæ  
speciei tantum convenit. Hanc *propriam*,  
illam *genericam* nominare libet.

§. 19.

*Suum* est id, quod unus vel a natura, vel  
aliunde factò scilicet suo habet; *alienum*, quod  
unus nondum habet.

§. 20.

Si alteri aliquid præstare, vel intuitu ejus  
omit-

omittere volumus, hoc fieri debet usu virium nostrarum. Participem ergo eum reddere virium nostrarum, seu partem virium nostrarum in eum transferre volumus.

§. 21.

Vires ad *rē* suum pertinent. (§. 19.) Qui ergo alium virium suarum participem vult reddere, ille vult ex suo fieri alienum. (§. 19.)

§. 22.

Qui affirmat, se velle alteri aliquid præstare seu intuitu ejus aliquid omittere, ille affirms, se velle ex suo fieri alienum. (§. 20, 21.)

§. 23.

Promissio est affirmatio, quod quis velit ex suo fieri alienum. (§. 3, 22.)

§. 24.

Acceptatio est affirmatio, quod quis velit ex alieno fieri suum. (§. 4, 23.)

§. 25.

Pactum est actus, quo mutatur suum in alienum. (§. 5, 23, 24.)

§. 26.

Juris Naturalis pars, ad quam custodiendam alios cogere possumus, *Jus Naturæ strictum* appellatur. (Kahl. Exercit. IV. §. 753.) Jam vero cum *Jus Naturæ*, quod prohibet, ne violetur *rē* suum cuique, sit *Jus Naturæ strictum*, sequitur, quod homines ad non violandum *rē* suum cuique cogi possint.

§. 27.

## §. 27.

Per pactum mutatur suum in alienum. (§. 25.)  
 Posito, aliquem violare velle pactum, videbis eum  
 violare velle τὸ suum cuique. Si ergo quis ad non  
 violandum τὸ suum cuique cogi potest, etiam ad  
 non violandum pactum cogi possit necesse est.

## §. 28.

*Pacta sunt servanda.* (§. 27.) Quod  
 ergo ante pactum fuit voluntatis, post pactum fit ne-  
 cessitatis; seu uti loquitur Ictus Paulus L. 17. §. 3. ff.  
*Commod.* Quod principio (i. e. ante pactum) bene-  
 ficii & nuda voluntatis fuit, convertitur in mutuas  
 præstaciones.

## §. 29.

Pactum est promissum acceptatum ab altero.  
 (§. 5.) Omne ergo, quod excludit voluntatem,  
 excludere quoque promissionem atque acceptatio-  
 nem ex idea promissionis & acceptationis patet.  
 (§. 3. 4.) Voluntas est inclinatio mentis ad ea,  
 quæ intellectus sibi tanquam bona repræsentavit:  
 (Wolf. *Psychol. Emp.* §. 880.) Hinc qui intellectu  
 destituti sunt, nec acceptare nec promittere, con-  
 sequenter nec pacisci valent.

## §. 30.

*Furiosi, mente capti, infantes,*  
*summe ebrii qua tales non paciscuntur.*  
 (§. 29.)

## §. 31.

Quem virium nostrarum participem facimus  
 in

in consequendo aliquo proposito, illi nos sumus auxilio.

### §. 32.

Promissio eo tendit, ut alter alteri sit auxilio. (§. 20. 31.) Hinc pacta eo tendunt, ut alter alteri sit auxilio. (§. 5.) Auxilium aliis ferendum ad officia amoris referuntur. (Kahl. Exercit. IV. §. 740.) Jam vero cum amor non possit extorqueri, (§. 692.) ej. Exercit.) sequitur quod *quis ad pacificandum cogi nequeat.*

### §. 33.

*Eadem* sunt, quorum unum alteri potest substitui; *Diversæ*, quorum unum alteri substitui nequit. (Wolf. Ost. §. 181. 183.)

### §. 34.

Qui alterum sub fictitiis & speciosis bonorum vel malorum repræsentationibus ad agendum commovet, ille *dolum committere* dicitur. (Kahl. Exercit. V. §. 1154.) Qui falsum pro vero habet, ille *errat*.

### §. 35.

Fictitiæ repræsentationes a veris repræsentationibus diversæ sunt. (§. 33.) Qui itaque in promittendo utitur dolo, is repræsentationibus a mente diversis alterum ad agendum determinat. (§. 34.) Qui promittit, alteri mentem seu voluntatem suam significat. (§. 3.) Ejusmodi itaque signum voluntatis & voluntas eadem sunt, (§. 33.)

B con-

consequenter signum voluntatis a voluntate diversum esse nequit. *Dolum ergo promissione & ex consequenti pacto contrariari*, luce meridiana clarius est.

## §. 36.

Ubi eadem voluntas, ibi eadem repræsentatio; (§. 29.) Ubi eadem repræsentatio, ibi idem objectum. Pactum requirit consensum mutuum, (§. 15.) qui absolvitur identitate duarum voluntatum (§. 14.) consequenter identitate objecti. Pactum ergo requirit unum idemque objectum. Dum pacientes errant, falsum objectum pro vero habent. (§. 34.) Falsum objectum a vero differt. (§. 33.) Pacientes itaque dum errant, diversum objectum sibi repræsentant; hoc autem consensui mutuo repugnat, ergo & errorem consensui mutuo & ex consequenti pacto repugnare apertum est.

## §. 37.

*Metus* est tedium, quod percipimus ex malo futuro.

## §. 38.

Pactum præsupponit actionem voluntariam. (§. 5.) Si ad aliquid volendum inducimur, id tanquam bonum nobis repræsentare debemus. (§. 29.) Qui metu impulsus paciscitur, illi malum repræsentatur. (§. 37.) *Metus* ergo in se spectatus impedit voluntatem ideoque pactum.

## §. 39.

## §. 39.

Consensus mutuus in identitate voluntatis paciscentium consistit, (§. 14.) *dissensum ergo mutuum* in identitate noluntatis paciscentium consistere patet.

## §. 40.

Noluntas voluntati contradicit. Hinc identitas noluntatis paciscentium identitati voluntatis paciscentium contradicit, consequenter dissensus mutuus consensui mutuo. (§. 39.) Contradicitoria se invicem tollunt, dissensus ergo mutuus consensum mutuum tollit. Sublato consensu mutuo evanescit pactum. (§. 15.) *Dissensum itaque mutuum tollere seu dissolvere pacta* in aprico est. Huc referas: *Nihil tam naturale est, quam eo genere quidve dissolvere, quo fuit colligatum.* l. 35. D. d. R. J.

## §. 41.

Pactum, quo prius pactum mutatur. seu tollitur, *novatio* dicitur.

## §. 42.

Per novationem tollitur consensus mutuus, (§. 15. 41.) quod non nisi dissensu mutuo fieri potest. (§. 40.) Novatio ergo involvit mutuum dissensum de pacto priori.

## §. 43.

*Solutio* est realis promissi præstatio. Si promissum realiter præstitum est, id ipsum exspirat.

B 2

Per

Per solutionem ergo exspirat promissum, consequenter pactum. (§. 5.)

## §. 44.

*Solutio & novatio sunt modi tollendi pacta.* (§. 40. 42. 43.)

## §. 45.

Usus virium nostrarum aliarumque rerum expediendo operi sufficientium dicitur *diligentia*. Usus virium nostrarum aliarumque rerum explendis officiis sufficientium *diligentia debita* audit. (Kähler, Exercit. III. §. 544. 546.)

## §. 46.

Omissio diligentiae debitæ *culpa* salutatur. (§. 547. ejusd. Exercit.)

## §. 47.

Dantur negotia, quæ summum, alia, quæ medium, alia denique, quæ infimum diligentiae gradum postulant. Hinc culpa quoque nanciscitur gradus.

## §. 48.

Omissio diligentiae summæ debitæ, *culpa levissima*; omissio diligentiae mediæ debitæ, *culpa levis*, omissio diligentiae infimæ debitæ, *culpa lata* appellatur. Notemus hic, quod culpa in Corpore Juris Civilis Romani simpliciter posita regulariter denotet *culpam levem*, b. 5. §. 2. Commod. l. 23. ff. d. R. J.; interdum & contra

contradistinguatur *dolo* l. s. §. 3o ff. d. in lit. jur. ;  
 item quod culpa levissima dicatur *diligentia*.  
*L.* s. §. 2o. *D.* *Commod.* nec minus *custodia*. *l.* 13.  
*§.* 1. *ff.* *de pign. act.* ; denique quod culpa lata æ-  
 quiparetur *dolo* in judiciis damni reparatoriis, nec  
 non in delictis poenam tantum pecuniariam infe-  
 rentibus. *l.* 1. §. 2o. *si is qui test. lib.* *l.* 226. *d.* *V. S.*  
*l.* 8. §. 3o. *d.* *Precar.* *l.* 1. §. 1. *D.* *si mens. fals. mod.*  
*§.* 49.

*Finis* est id, propter quod aliud fit; *Re-*  
*medium* est id, quo existentiam alicujus finis  
 consequimur. *Finis* ergo absque remedii exis-  
 te nequit.

*§.* 50.

Qui per pactum in se recepit finis alicujus  
 existentiam, is pactus est de remedii adhibendis,  
 (§. 49.) consequenter de impedimentis removen-  
 dis.

*§.* 51.

Qui pactus est de negotio aliquo ceu offi-  
 cio expediendo tanquam fine quodam obtinendo,  
 is pactus est de usu remediorum expediendo huic  
 officio sufficientium & de remotione impedimen-  
 torum, ideoque de diligentia debita adhibenda.  
 (§. 45. 50.)

*§.* 52.

Omissio diligentiae debitæ negotio suscep-  
 to repugnat, ergo & culpa. (§. 46. 51.)

B 3

*§.* 53.

§. 53.

Malum ex violatione τῆς suum cuique ortum *damnum* dicitur. (Kæhl. Exercit. IV. §. 769.)

§. 54.

Si pacifcens circa negotium suscepit culparum committit, pactum violat, (§. 52.) consequenter τὸ suum cuique. (§. 27.) Damnum ergo alteri infert. (§. 53.) §. 55.

*Reparare damnum* est efficere, ut malum ex violatione τῆς suum cuique ortum cesset.

§. 56.

Cogere possum alterum, ut τὸ suum cuique non violet, (§. 26.) & per consequens, ut sua culpa mihi damnum non inferat. (§. 54.)

§. 57.

Cui competit non pati, ut culpa alterius damnum sibi inferatur, ille quoque, si damnum culpa alterius illatum fuerit, ad damni reparationem alterum adstringere poterit.

§. 58.

Reparatio damni culpa illati est, quod *culparum præstationem* nominamus. *Pacifcentes* ergo de negotio aliquo suscepito & expediendo ad *culparum præstationem teneri posse*, concedendum erit. (§. 57.)

§. 59.

*Fortuna* est nexus causarum, quem prævidere in nostra potestate situm non est. *Res itaque*

itaque *meræ fortunæ* sunt res extra nostram potestatem existentes.

§. 60.

Illud dicitur *non esse in nostra potestate*, ad cuius existentiam vel promovendam vel impediendam vires nostræ non sufficiunt. Res ergo meræ fortunæ sunt res, ad quarum existentiam vel impediendam vel promovendam vires nostræ non sufficiunt. Ad res meræ fortunæ refertur *casus*, consequenter & idein de casu prædicandum est.

§. 61.

*Quidquid vires nostras excedit, in eo usus virium nostrarum nullus est.* Ergo usus virium nostrarum ad impediendum casum nullus est. (§. 60.) Fingas, quod pacientes se invicem ad casum evitandum obligare velint, tunc usum virium nullum adhiberi volunt, quod vero absurdum seu si mavis contradictorium est.

§. 62.

*Pacisci non possumus de casibus evitandis.* (§. 61.)

§. 63.

Pacientes eatenus culparum præstationis teneri possunt, quatenus sibi invicem usum virium suarum promiserunt. (§. 51. 58.) Casus usum virium excedit. (§. 60.) *Pacientes ergo, nisi casum in se suscipiunt, ad casus præstationem*

*tionem non adstringi posse*, certo certius est.

Hinc recte judicat Ulpianus : *Animalium casus, mortes, queque sine culpa accedunt, fuga servorum, qui custodiri non solent, rapina, tumultus, incendia, aquarum magnitudines, impetus prædonum a nullo prestantur. l. 23. D. d. R. J.*

### §. 64.

Propositiones, quas sistunt §§phi 30. 32.  
35. 36. 38. 40. 44. 58. 62. 63. sunt mihi *Pactorum determinationes*. Competunt illæ Pactoris in genere, sunt ergo *determinationes Pactorum genericæ*. (§. 18.)

### §. 65.

*Essentia* dicitur id, sine quo Ens non potest concipi. (Wolf. *Ont.* §. 142, 143.) Pactum sine promissione & acceptatione concipi nequit, (§. 5.) ergo promissio & acceptatio sunt *essentialia pacti*.

### §. 66.

Quidquid ex natura sive *essentia pacti determinatur*, illud ex promissione & acceptatione determinari debet (§. 65.)

### §. 67.

Determinationes, quæ ex natura seu *essentia pactorum concipiuntur*, dico *determinationes Pactorum naturales*. Hinc determinationes

tiones, quæ ex promissione & acceptatione concipi queunt, sunt determinationes Pactorum naturales.  
(§. 66.)

## §. 68.

*Propositiones, quas includunt §§phi  
30. 32. 35. 36. 38. 40. 44. 58. 62. 63. sunt de-  
terminationes Pactorum naturales.* Sunt enim determinationes Pactorum, (§. 64.) atque ex ipsa promissione & acceptatione conceptibiles.  
(§. 67.)

## CAPUT II. DE PACTIS NATVRALLI- BUS ET CIVILIBUS IN GENERE.

## §. 69.

**C**oncipere licet Paœta in statu naturali celebra& in Statu civili. Hæc Paœta *Civi-  
lia*, illa *naturalia* nominabimus.

## §. 70.

Quidquid competit generi, competit quoque speciei necesse est. (Wolf. Log. §. 346.) Paœta ergo & naturalia & civilia iisdem determinationibus gaudere debent, quibus Paœta in genere. (§. 64.)

## §. 71.

Homines in civitate vitam degentes ab al-  
terius

terius, Principis nimirum arbitrio certo modo dependent, consequenter Pacta seu actiones eorum non unice ab illorum arbitrio, sed a Principis quoque nutu dependere clarum est.

S. 72.

*Pacta civilia capacia sunt determinationum naturalium & civilium.*  
 Pactis enim civilibus determinationes competunt, quæ Pactis in genere, (§. 70.) consequenter determinationes naturales (§. 68.) Hæ itaque determinationes sive sint confirmatae a legibus civilibus sive non, tamdiu in statu civili obtinent, donec ille, qui civitati præest, illas expressa mutet voluntate. Id quod dupli modo fieri potest; et enim aut addit Princeps determinationibus Pactorum naturalibus novas illis non contrarias, ex illis tamen non conceptibiles; aut Pacta ex ejus voluntate accipiunt determinationes, quæ naturalibus aliquo modo repugnant. Has determinationes, quæ arbitrio innituntur Principis; *civiles* appellare licitum erit. Pacta ergo civilia agnoscunt determinationes & naturales, & civiles.

S. 73.

*Pacta naturalia meras habent determinationes naturales.* Ineuntur enim extra statum civilem, consequenter determinationibus civilibus destituta sunt. (§. 71.) Omnes ergo eorum determinationes ex solo pacientium arbitrio originem trahunt, ideoque unice ex promissione:

missione & acceptatione concipi queunt. Haec determinaciones autem mihi *mere naturales* sunt.  
(§. 67.) Hinc inferatur conclusio.

## CAPUT III. DE PACTIS ROMANORVM IN GENERE.

§. 74.

**P**Er *Pacta Romanorum* intelligo Pacta in civitate Romana olim obvia.

§. 75.

Ex historia Civili Romana constat, Romanos propter utilitatem publicam & ne infinita ex partium conventione orirentur litigia, sancivisse, neminem ex Pactis nisi verborum solennitatibus munitis teneri cum efficacia. Naturalis Pacti obligatio salva quidem manebat, sed negabant remedium civile, quo ille, cui promissum erat, jus suum ex Pacto ortum prosequi posset; uno verbo, negabant *Actionem*. *I. si. D. d. O. & A.* Ex post facto præter has conventionum formulas quibusdam Pactis in vita humana frequentius obviis singularique nomine insignitis (e. g. *Emtioni*, *Venditioni*, *Locationi*, *Conductioni*) vim dabant per se, solennibus verbis licet non adhibitis,

C 2 actio-

actiones producendi; Nominabant has conventiones *Contractus* l. 7. §. 1. ff. d. *Pact.* Denique aliis vario subveniebant modo, ita ut ex illis æque ac ex *Pactis solennibus* atque *Contractibus* promanarent actiones, & hæc conventiones in specie *Pacta non nuda* dicebantur. Reliquæ conventiones actionibus destitutæ vocabantur *Pacta nuda* seu *Pacta*.

## §. 76.

Habemus ergo quatuor Pactorum Romanorum genera, *Pacta* videlicet *solennia*, *Contractus*, *Pacta non nuda*, & *Pacta nuda* seu *Pacta* in specie sic dicta. (§. 75.)

## §. 77.

*Pacta* solennia a Romanis celebrata sunt verbis solennibus aut ore nuncupatis, aut litteris expressis. Hæc vocabant *Litterarum Obligationes*, illa *Stipulationes* seu *Verborum obligationes*. l. 18. D. d. O. & A. §. un. f. d. L. O. pr. & §. 1. f. d. V. O. l. 1. pr. ff. d. V. O. adde l. 38. ff. d. O. & A.

## CAPUT. IV. DE CONTRACTIBVS IN GENERE.

§. 78.

## §. 78.

**P**osthabitis Pactis solennibus tanquam conventionibus nec a Germanis nec ab ulla gente, si Romanos excipias, unquam receptis, de Contractibus notandum est, quod vocabulum Contractus in Jure Romano bifariam habeat significationem. Sumitur enim modo *in sensu generaliori* pro quoconque pacto civiliter efficaci; §. 2. *J. d. oblig.* l. 1. §. 1. ff. *d. o. & A.* modo *in sensu stricto* pro conventionibus certo nomine gaudentibus atque nominatam actionem producentibus. l. 19. ff. *d. V. s.* Meum erit semper unum adhibere contractus significatum §. 75. jam expositum, & sic concludere licet, 1) quod omnes Contractus nominatam agnoscant actionem, 2) quod omnes sine solennibus verbis facti sint, quamquam & fieri interdum solebat, ut solennia verba superaccederent, & ita Contractus naturam Pactorum solennium acciperent, id quod illustrat Cicero in Lib. III. d. Offic. conf. l. 2. §. 5. ff. *d. reb. cred.* §. 1. *J. quib. mod. toll. oblig. verb. sed & id.*

## §. 79.

Contractus dividi solent 1) in *Contractus bonae fidei & stricti juris*, 2) in *Nominatos & Innominatos*, 3) in *Unilaterales & Bilaterales*, 4) in *Consensuales & Reales*, 5) in *Veros & Quasi Contractus*.

## §. 80.

Quod ad decantatam Contractuum bonæ fidei & stricti juris divisionem attinet, notum est; vulgo *Contractus stricti juris* a plerisque Doctoribus, nescio qua ratione, nec quo fundamento, definiri per contractus, qui nec explicite nec implicite in §. 28. *J. d. Act.* continentur. *Bonæ fidei Contractus* dicunt esse, qui §. all. recitantur. Sunt quoque qui contendunt, contractus bilaterales esse bonæ fidei, & unilaterales stricti juris, ut aliorum opinioni supersedeantur. Ast de effectu omnes consentiunt, quod scilicet in stricti juris iudiciis judicis potestas ad verba conventionum fuerit adstricta, in bonæ fidei actionibus non æque. *conf. §. 30. J. d. Act.* Illustris tandem Academiae Fridericianæ, quæ Halæ Saxonum floret, JCtus Boehmerus contra opiniones jamjam in medium prolatas, & in omnibus fere Germaniæ scholis dum adoptatas, evincere connitur, quod contractus stricti juris Romanis fuerint contractus per solennia verba celebrati, & omnes reliquos Romanii agnoverint bonæ fidei. *Evolv. tract. ej. d. Actionibus Sect. I. C. III. §. 12. seqq.*

## §. 81.

*Omnis Contractus nostro significatus sunt bonæ fidei*, (§. 75.) possunt tamen in Pacta solennia abire, (§. 78.) consequenter contractus stricti juris i.e. Pacta solennia fieri. (§. 80.)

## §. 82.

§. 82.

*Contractus innominati* Legulejis sunt contractus, qui nominatam producunt actionem, quique specificum habent contrahendi modum. Per *Contractus Innominatos* intelligunt contractus, specifico nomine atque nominata carentes actione.

§. 83.

*Contractus, de quibus mibi sermo est, hanc divisionem non admittunt, sed omnes nominati sunt.* (§. 78.)

§. 84.

*Contractus Unilaterales* dicuntur contractus, qui unam, & *Bilaterales*, qui duplum concedunt actionem.

§. 85.

Inferius elucebit, omnes contractus excepto Mutuo esse bilaterales.

§. 86.

Distinctiones Contractuum in Reales & Consensuales, in Veros & Quasi Contractus nostro conceptui Contractuum magis inserviunt. *Reales* definiuntur per contractus, qui celebantur & consensu & rei traditione, seu ad quorum perfectionem præter consensum & rei requiritur traditio; *Consensuales* sunt, qui ineuntur tantum consensi, seu ad quorum perfectionem sufficit consen-

consensus. *Veri Contractus* sunt illi, qui utriusque contrahentium vero ineuntur consensu; *Quasi Contractus* fiunt unius paciscentium vero & alterius factio consensu. (§. 8.)

## §. 87.

*Contractus* sunt species Pactorum Romanorum, (§. 76.) consequenter civilium, (§. 69.) *Sunt ergo determinationum civilium & naturalium capaces.* (§. 72.)

## §. 88.

*Contractus* porro gaudent determinationibus genericis & propriis. Constituunt enim Pactorum speciem. (§. 87.) Speciei notio consistit ex notione generis & differentia specifica. (Wolff. *Ont.* §. 241.) Competunt ergo illis determinationes, quae insunt eorum generi atque differentiae. Inf. inde conclus.

## §. 89.

Jus Civile Romanum determinat, I) Quod omnia bona fidei negotia consequenter contractus invalidos reddant *error, dolus, metus & coactio.* l. 15. d. Jurisd. l. 57. d. O. & A. l. 7. §. 7. 9. d. Pact. l. 116 pr. & §. 2. ff. d. R. J. II) Quod non contrahant *furiosi, mente capti, infantes.* l. 1. §. 12. d. O. & A. l. 5. l. 40. ff. d. R. J. §. 10. J. d. *inutil. stipul.* III) Quod *dolus & Culpa*

*culpa* in omni contractu prætentur , non vero  
*Casus.* l. 23. d. R. f. l. 17. pr. l. 18. pr. *Commod.*  
l. 13. §. 4. 16. D. d. act. emt. l. 6. C. d. pign. act.  
IV) Quod omnia negotia & per consequens Con-  
tractus eodem modo dissolvantur , quo colligati  
sunt , ( h. e. mutuo dissensu ) nec minus *nova-*  
*tione & solutione* ; l. 35. ff. d. R. f. pr. & §. 1. 3.  
f. quib. mod. toll. oblig. non autem *acceptila-*  
*tione* ( quæ est liberatio per mutuam & congruam  
interrogationem l. 1. ff. d. acceptilat. ). Hac enim  
tantum eæ solvuntur obligations , quæ ex verbis  
consistunt , ut loquitur Imperator §. 1. f. quib. mod.  
toll. oblig. V) Quod contractus per se producant  
*nominatam actionem* , quæ perpetua est ,  
( h. e. quæ 30. minimum durat annos ) personalis ,  
( i. e. quæ datur contra personas obligatas §. 1. f.  
d. Act. ) & transitoria , seu actio , quæ datur here-  
dibus & contra heredes . §. 1. f. d. perpet. & temp.  
act. l. 3. C. d. prescr. 30. vel 40. annor.  
§. 90.

Præcedens §phus contractuum determinatio-  
nes absolvit , *quarum quatuor priores ge-*  
*nericæ sunt & naturales , ultima vero*  
*civilis est ac contractibus propria.* Quatuor  
enim priores Pactis in genere competunt , ( §. 30. 32.  
35. 36. 38. 40. 44. 58. 62. 63. 64. ) ergo naturales sunt  
ac genericæ . ( §. 64. 68. ) Postrema autem , qua pa-  
D ciscen-

ciscentibus datur actio, ex arbitrio Principis s. Legislatoris illis conceditur facultas, civili modo, quod ex Pacto debetur persequendi, & ex consequenti Pactis illis attribuitur nova determinatio, quæ ex genere Pactorum concipi haud potest, adeoque hæc determinatio civilis est. (§. 72.) Deinde quoniam hæc actio privative competit contractibus, (§. 78. 89.) sequitur, quod hæc determinatio contractibus propria sit. (§. 18.)

## CAPUT V. DE CONTRACTIBVS REALIBUS.

§. 91.

**C**ontractibus realibus eadem competunt determinationes, quæ contractibus in genere, (§. 70. 89.) sed superecedente rei traditione. (§. 86.)

§. 92.

Ad Contractus reales referuntur: *Mutuum, Commodatum, Depositum & Pignus.* I. I. §. 2. 3. 5. 6. ff. d. o. & A.

§. 93.

*Mutuum* definitur pr. f. quib. mod. re contr.

*contr. oblig.* per contractum realem, quo res numero, pondere & mensura constans alicui datur, ut ejus fiat, & ille rem ejusdem qualitatis reddat. Melius definitur per contractum realem, quo dominium rei nostrae in alium transferimus ea conditione, ut ille rem nobis in genere restituat. *I. 2. §. 2.*  
*I. 3. ff. d. reb. cred.*

## §. 94.

*Commodatum* est contractus realis, quo certus ac gratuitus rei nostrae usus alicui ea lege conceditur, ut finito eo usu rem in specie reddat. *§. 2. f. quib. mod. re contr. oblig.*

## §. 95.

*Depositum* dicitur ille contractus realis, quo res gratis alicui custodienda traditur. *§. 3. f. quib. mod. re.*

## §. 96.

*Pignus* h. e. *Contractus pignoris* est contractus realis, quo res datur in securitatem debiti, ut soluto debito res in specie restituatur. *§. 4. f. eod.*

## §. 97.

Evincetur modo, horum recensitorum negotiorum determinationes partim esse naturales, & partim civiles. Priusquam ergo ipsas eorum traitemus determinationes, non sufficere mihi videatur, considerare illa negotia tanquam *Paetia Romanorum*, sed & inquirere mihi incumbit abstrahendo a statu Romano, in quonam ejusmodi negotia in alio statu veluti naturali consistant, tunc facile in-

D 2      digitare

digitare licebit, quænam sint e. gr. in Mutuo Romanorum determinationes naturales, & quænam civiles. Dari autem ejusmodi negotia etiam in statu naturali, omni dubio caret. Fingas enim in illo statu unum alteri rem aliquam dare, ut post certum aliquod tempus rem similem reddat, habebis Mutuum in statu naturali celebratum. Hoc negotium si placet *Mutuum naturale* appellare volamus.

## §. 98.

Simili ratione *Commodatum naturale* erit negotium in statu naturali initum, vi eius nos alteri certum nostræ rei usum gratuitum hac lege concedimus, ut finito usu rem ipsam nobis restituat.

## §. 99.

Si in statu naturali unus alteri rem custodiendam tradit, *Depositum naturale* concipi mus.

## §. 100.

*Pignus naturale* celebrat, qui in statu naturali rem in securitatem debiti tradit, ut eo solo rem ipsam recuperet.

## §. 101.

*Ens illud* dicitur *perfectum*, cuius varia ad unum finem tendunt. Pactum itaque, in quo omnia ad finem perducentia adsunt, perfectum est.

## §. 102.

Concipimus in Pacto consensum mutuum,

(§. 15.)

(§. 15.) seu promissionem & acceptationem. (§. 5.)  
 Hæc itaque Pacti varia sunt. Finis Pacti est mutatio sui in alienum, (§. 25.) qui finis promissione & acceptatione seu consensu mutuo obtineri potest. (§. 23. 24.) Existentibus ergo in Pacto hisce variis, Pactum perfectum est. (§. 101.)

## §. 103.

*Rei traditio ad Pacti perfectionem  
nihil confert.* Ad perfectionem enim Pactorum sufficit consensus mutuus. (§. 102.)

## §. 104.

*Mutuum itaque, Commodatum,  
Depositum & Pignus naturale, si tan-  
quam Pacta considerare velis, ante rei  
traditionem jam erunt perfecta, quam-  
quam tunc accurate loquendo ejusmodi  
negotia tantummodo constituant Pacta  
de mutuo &c. dando, non autem ipsum  
Mutuum, Commodatum &c. &c. (§. 103.  
97. 98. 99. 100.)*

## §. 105.

*Mutuo, Commodo, Deposito &  
Pignori naturali insunt determinationes  
genericæ & propriæ. Demonstrationis loco  
applicetur hic mutatis mutandis §pus 88.*

§. 106.

*Mutui, Commodati, Depositii atque  
Pignoris naturalis determinationes gene-  
ricæ sunt illæ, quæ competitunt Pactis in  
genere.* Sunt enim Pacta naturalia. (§. 69.) De-  
terminationes ergo eorum genericæ sunt illæ, qui-  
bus gaudent Pacta naturalia in genere. (§. 70.) Hæ  
determinationes autem cum determinationibus  
Pactorum in genere coincidunt. (§. 68, 73.) Vera  
itaque ac indubitata §phi hujus propositio est.

§. 107.

Unius cuiuslibet horum negotiorum deter-  
minationes propriae ex ipsis eorum notionibus facili  
negotio formari queunt. (§. 97, 98, 99, 100.)

§. 108.

*Mutuum, Commodatum, Deposi-  
tum & Pignus Romanorum determina-  
tionum naturalium & civilium capacia  
sunt.* Sunt enim contractus. (§. 70, 87.)

§. 109.

Mutui, Commodati, Depositii & Pignoris  
Romanorum determinationes genericas absolvunt  
§phi 89, 91.

§. 110.

Determinationes Mutui Romanorum pro-  
priæ sunt: 1) Ut hoc pacto dominium rei trans-  
feratur in accipientem, consequenter res accipienti  
pereat, qui nihilominus obligatus manet, l. 2. §. 2.  
*ff. de*

*ff. de reb. cred. §. 2. f. quib. mod. re contr. oblig.*  
 II) Ut objectum hujus negotii sit res fungibilis,  
 hoc est res in eodem genere restituenda. *l. 2. §. 1.*  
*l. 3. ff. d. reb. cred.* III) Ut ex Mutuo non de-  
 beantur usuræ nisi promissæ. *l. 24. ff. d. P. V.* IV) Ut  
 Mutuum non faciant, quibus a legibus civilibus a-  
 lienare est prohibitum, (ut sunt pupilli, minores  
 curatorem habentes, & prodigi. *§. 2. f. quib. alien.*  
*lic. vel non l. 3. C. d. integr. restit. l. 6. ff. d. V. O.*)  
 & quibus in specie interdictum est, (ut sunt Pro-  
 vinciarum Præsides) *l. 33. ff. d. reb. cred.* V) Ut  
 mutuum si in pecunia consistat, filiis familias, qui  
 de propriis solvere nequeunt, scienter ac sine con-  
 sensu patris valide dare non liceat, unde si datum  
 sit, obligatio ad reddendum eliditur Exceptione  
 SCti Macedoniani, cuius effectus autem cessat, si  
 pecunia sciente patre data, aut in ejus rem versa-  
 sit. *l. 7. §. 3. l. 3. §. 3. l. 19. l. 1. pr. l. 7. §. 12. l. 12. ff.*  
*d. SCti Maced.* VI) Ut, si res in suo genere resti-  
 tui non potest, forsan ob raritatem; tunc præstari  
 debeat æstimatio ejus temporis, quo petitum est,  
 nisi tempus reddendi a contrahentibus definitum  
 sit, tunc enim quanti tunc fuisset æstimatio solvi  
 debet. *l. 22. ff. d. reb. cred.* VII) Ut conveniri  
 quidem possit, ut minus, non ut plus reddatur,  
 quam datum est. *l. 11. §. 1. ff. cod.* VIII) Ut si  
 quis in chirographo se ex Mutuo debere confes-  
 sus est, idque intra biennium non retractavit, ex  
 his litteris obligetur, quamquam pecuniæ non  
 accepit, & conveniri possit condicione ex chiro-  
 grapho *§. un. f. d. l. o.* IX) Ut Mutuum uni-  
 cam

cam producat actionem , quæ dicitur Condictio certi, l. 9. pr. ff. d. reb. cred. (scilicet ex mutuo. Bæhm. d. Act. S. II. C. VIII. §. 2.) quæ competit creditori seu illi, qui rem mutuo dedit , contra debitorem, seu cui datum est , & quidem si debitor est civitas, pupillus aut minor, eo tantum casu , si res in eorum utilitatem versa sit, ad idem genus reddendum. l. 27. ff. d. reb. cred.

## §. III.

*Prima , secunda & tertia Mutui Romanorum determinatio naturalis est, reliquæ omnes civiles sunt.* Etenim illæ ex Mutuo quoque naturali concipi possunt , ( §. 97.) hæ autem ex Legislatoris voluntate tantum conceptibles sunt. Determinationes, quæ ex Pactis extra civitatem initis adeoque ex Mutuo naturali concipiuntur, naturales, ( §. 73.) & quæ ex Principiis, seu ejus, cui leges ferre competit, arbitrio dependent, civiles salutantur. ( §. 72.) Concludatur inde propositio.

## §. 112.

Commodati Romanorum determinationes propriæ sunt. I) Ut objectum hujus negotii sint res in eadem specie reddendæ, seu non fungibiles, §. 2. f. quib. mod. re contr. oblig. & consequenter non sicuti in mutuo transferatur dominium ; l. 8. l. 9. ff. *Commod.* unde si res perdita sit casu, commodans casum sentiat non commodatarius §. 2. f. t. cit. nisi casum & omne periculum in se receperit. l. 1. C. d. *Commod.* II) Ut usus rei certus sit ac gratui-

gratitus. §. 2. *J. quib. mod re contr.* ideoque nec  
commodatarius rem commodatam aliis usibus ad-  
hibere debeat, §. 7. *J. d. oblig. q. ex delict.* nec an-  
te finitum usum res ordinarie revocare queat com-  
modans. *I. 17. §. 3. ff. Commod.* III) Ut mercede  
interveniente Comodatum in aliud pactum tran-  
seat. *pr. J. d. Loc. I. 5. ff. d. præsc. verb.* IV) Ut  
illi, qui re comodata alio modo utuntur quam  
pactum est, furtum usus committant. §. 6. 7. *J. d.*  
*oblig. q. ex delict.* & idcirco furti actione teneri pos-  
sint. *I. 5. §. 8. commod. I. 54. §. 1. D. d. furt..* V) Ut  
quoniam regulariter commodum ex hoc contractu  
sit penes commodatarium, commodatarius præstet  
culpam levissimam, ( hoc est, reparet damnum or-  
tum ex omissione diligentiae summæ debitæ (§. 48.)  
seu eæ diligentiae, quæ a diligentissimis patribus fa-  
milias in rebus suis communiter adhiberi solet, )  
& commodans culpam latam; ( i. e. reparet da-  
mnum datum omissione diligentiae debitæ infimæ,  
( §. 48.) seu eæ diligentiae, quam homines com-  
muni sensu utentes adhibere solent ) *I. 213. §. 2.*  
*I. 223. pr. d. V. S. I. 5. §. 2. ff. commod.* Si autem  
res utriusque pacientium gratia sit comodata,  
uterque præstet culpam levem, *I. 18. pr. ff. eod.*  
( h. e. reparet damnum illatum ex omissione di-  
lignantiae mediæ, ( §. 48.) seu diligentia a diligente  
patre familias in iisdem negotiis adhiberi solitæ;  
*I. 14. ff. d. pign. act.* ) si denique commodantis  
tantum causa, commodatarius præstet nil nisi cul-  
pam latam. *I. 5. §. 10. ff. commod.* VI) Ut ex  
hoc contractu detur duplex actio, & quidem com-  
modanti

modanti actio directa ad rem finito usu in specie restituendam, & si culpa commodatarii perdata vel deteriorata fuerit, ad ejus aestimationem; l. 3. §. 1. l. 10. l. 18. §. 1. ff. *Commod.* commodatario autem actio contraria ad indemnitatem, si α) culpa scilicet lata commodantis laesus sit; l. 18. §. 3. ff. *cod.* β) si rem ante finitum usum repetierit commodans; l. 17. §. 3. *D. cod.* γ) si impensas non modicas in rem commodatam fecerit; l. 18. §. 2. ff. *cod.* δ) si aestimationem pro re perdata solverit hæcque ex post facto in commodantis potestatem pervenierit. l. 17. §. f. *D. cod.*

## §. 113.

*Commodati Romanorum determinations priores tres naturales sunt, et quæ restant, civiles.* Reiteretur hic demonstratio, quam exhibet Sphus III.

## §. 114.

Depositum Romanorum sequentibus gaudet determinationibus propriis: I) Ut sit pactum gratuitum, consequenter si merces intervenit, in aliud pactum degeneret. l. 26. §. 1. l. 1. §. 8. 9. 10. ff. *deposit.* II) Ut nec dominium nec usus, sed sola rei custodia transferatur in accipientem, ideoque si usus rei depositæ expresse concedatur, ex deposito fiat mutuum, l. 1. pr. l. 24. l. 26. §. 1. ff. *cod.* §. 3. *J. quib. mod. re contr. oblig.* & hinc res depositario pereat, (§. 110.) cum alias periculum sit apud depositentem. l. 17. §. 1. ff. *deposit.* III) Ut si conventum pro eadem specie tantundem seu aestimationem

tionem solvi, depositi termini excedantur. l. 24. ff.  
 eod. IV) Ut interdum & is, qui rem litigiosam  
 possidet, invitus jussu nimirum judicis deponat. l. 7.  
 §. f. D. qui satisd. cog. V) Ut rei deposita posses-  
 sio ( i. e. possessio mentalis , qua animum habeo  
 rem alteri depositam recuperandi. l. 9. ff. d. adquir.  
 vel amitt. poss.) apud deponentem maneat , nisi  
 res litigiosa apud tertium deposita , seu , si mavis,  
 sequestrata sit. l. 17. §. 1. ff. depos. VI) Ut depo-  
 nens regulariter teneatur ad culpæ levissimæ præsta-  
 tionem, depositarius vero ad culpam latam. l. 1. §.  
 7. 16. 20. seq. ff. eod. VII) Ut depositarius , si re-  
 utatur deposita , furtum usus committat §. 6. f. d.  
 oblig. q. ex delict. VIII) Ut ex hoc contractu  
 concedatur deponenti actio directa , ( quæ inter-  
 dum famosa est. l. 1. §. 1. ff. d. his qui notant. inf. l.  
 10. C. depos. ) ad rem in specie restituendam §. 3. f.  
 quib. mod. re contr. obl. & quidem integre, statim &  
 cum omni causa ; l. 1. §. 16. l. 1. §. 21. §. 24. ff. depos.  
 & si res deterior reddita fuerit , vel plane culpa  
 depositarii perdita , ad interesse; l. 1. §. 8. 16. ff. eod.  
 ( & quandoque in duplum , si est depositum miserabile , h. e. si res deposita est propter tumultum,  
 incendium , ruinam & naufragium , l. 1. §. 1. ff. eod.  
 §. 17. f. d. act. quæ actio tamen in heredes non  
 transit nisi in simplum l. 1. §. 1. ff. depos. ) Depositario autem competat contraria actio contra depo-  
 nentem ad indemnitatem , si α) impensas fecerit  
 depositarius in rem depositam , vel β) illi damnum  
 a deponente culpa etiam levissima illatum sit. l. 5.  
 pr. ff. cod.

## §. 115.

Ex collatione Sphi III. cum Spho præc.  
satis apparet, tres priores *Depositum Romano-*  
*norum determinationes esse naturales, &*  
*quæ supersunt civiles.*

## §. 116.

Sequitur nunc Pignus Romanis cognitum,  
eius determinationes propriæ sunt: I) Ut pignori-  
dari possint res omnes, quæ securum præstant cre-  
ditorem consequenter res tam propriæ quam alien-  
æ, modo domini consensus accedat, l. 20. pr. ff.  
d. pign. act. non vero res exemptæ commercio,  
l. 9. §. 1. ff. d. pign. & hypoth. nec res litigiosæ.  
l. 1. §. 2. quæ res pignor. l. 3. ff. eod. II) Ut ex hac  
conventione nec dominium nec usus, sed natura-  
lis tantum rei possessio in accipientem transferatur.  
l. 35. §. 1. d. pign. act. l. 13. pr. l. 16. ff. d. usurp. &  
usucap. III) Ut non possint pignori dari res ci-  
viliter non alienabiles, consequenter nec arma, nec  
fundus dotalis nec feudum, nec instrumenta ru-  
stica l. 14. §. 1. ff. d. re milit. l. un. §. 15. C. d. R. V.  
A. 2. F. 55. l. 8. C. quæ res pignor. oblig. poss.  
IV) Ut, quoniam hoc pactum ad utrius contra-  
hentium speetat utilitatem, uterque præstare de-  
beat culpam levem. l. 5. l. 7. C. d. pign. act. §. ult.  
f. h. tit. V) Ut lex commissoria (i. e. conven-  
tio, ut sua die debito non soluto pignus pro quan-  
titate debita pleno jure creditori adquiratur.)

huic

huic contractui addita non valeat ; pr. C. d. pact. pign. ( bene tamen Pactum Antichreticum , quo creditori jus re pignorata utendi fruendi in vicem usurarum vel pro usura æris alieni conceditur , l. 11. §. 2. ff. d. pign. & hyp. item & pactum , quo debito die conventa non soluto creditor rem oppignoratam justo pretio habeat emtam . l. 16. §. fin. ff. eod. ). VI) Ut pupillo pignus capienti necessaria sit tutoris autoritas . l. 38. ff. d. pign. act. VII ) Ut ex hoc contractu illi , qui dedit , nascatur actio directa contra eum , qui pignus accepit , ad rem oppignoratam soluto debito cum omni causa restituendam & ad damna culpa levi data resarcienda §. ult. f. quib. mod. re contr. oblig. l. 13. §. 1. ff. d. pign. act. l. 1. 2. 3. C. eod. ( manet tamen creditori pignoris possessio jure retentionis , si novum debitor contraxerit debitum . l. 1. C. etiam ob chirogr. pecun. pign. teneri poss. ) & alteri actio contraria ad indemnitatem , si res verb. gr. aliena invito domino vel vitiosa pignori data sit ; l. 20. pr. l. 9. pr. l. 32. ff. d. pign. act. si impensas in pignus fecerit l. 8. pr. ff. eod. aut damnum inde passus sit l. 3. ff. eod.

## §. 117.

*Ex Pignore itaque Romanorum non nisi prima & secunda determinatio dici merentur naturales , ceteræ vero civiles . Probatio hujus propositionis in Spho III. continetur.*

## §. 118.

Sed demonstrationem ulterius nectere jam  
iter vetat, quod fatis jubentibus ad patrios fusi-  
piendum est lares. Pedem itaque hic figo, & in-  
terruptam hancce tractationem Deo volente com-  
modiori aliquando tempore ac occasione  
continuare atque consummare  
polliceor.

T A N T U M.







Ke 4068

ULB Halle  
007 679 181

3



VD 18



B.I.G.



17. 32  
DE  
**PACTIS  
ROMANO-  
RUM**

KÖNIGRIED  
UNIVERS.  
ZV HALLE

*The 4068*  
**SPECIMEN PRIMUM.**

AUTORE  
LAURENTIO HAUSMANN,  
LUBECENSIL

*Argentorati,*  
Literis GEORG. ADAMI PIESCKERI, Univers. Typogr.